B. N. C.
FIRENZE
1035
40

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1035
40
XXXI
40.
1035.40

XXVII
TRAD.
1619

S.

XXXIII
STRAD
1035.40

ORATIO
IN NOVENDIALI FVNERE GREGORII XV
AD S. R. E. CARDINALES HABITA

A FAMIANO STRADA

SOCIETATIS IESV

IN VATICANA PRINCIPIS APOSTOLORVM BASILICA

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ROMAE, Typis Alexandri Zannetti. MDCXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Paulaccius Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. F. Nicolai Rodulfij Ord. Prædicatorum Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

1035-40

LVDOVICO LVDOVISIO S. R. E. CARDINALI VICECANCELLARIO

FAMIANVS STRADA S. D.

QVAM habui, te per valetudinem abſente, orationem, Cardinalis Ampliſſime, eam tibi an ſiſterem ; profecto dubitaſſem : ne dolorem inſtaurando viderer eius oculis non parcere, cuius auribus morbus ipſe perperciſſet; niſi ſcirem res ab Gregorio geſtas hærere tibi multo altius in pectore, quam vt poſſint cuiuſquam oratione repræſentari. Accipe igitur, Princeps, quidquid hoc eſt à me, vt me ſoles humaniter: quod tibi

hoc etiam nomine non ingratum fuerit, quia nihil hìc niſi verè caſtigatéq. dictum (qui adamatur à te ſermonis color) animaduertes: idque vt, qui me audirent, faterentur vniuerſi, omnem verborum pompam, oratorumque magniloquentiam procul habui. non ſolum quòd hæc mihi hiſtoriam ſcribenti iampridem interdixi: ſed ne me in illorum culpam induerem, qui Pontificia hæc funera aſſentatoriè, ambitioſèque declamando, effecerunt merito quidem ſuo, vt huic nouendiali Pontificum laudationi imponeretur à mendacijs nomen. Hunc verò ſcopulum cum euaſiſse me, Auditorum confeſſione, ac laudibus, intellexi; portum vidi. Vale.

ORATIO

NONDVM ſe menſis ſextus ac decimus circumuoluit:Cardinales Ampliſs.cum in hac Principis Apoſtolorum Baſilica, ingenti mortalium concurſu frequentiſſima, inter fauſtas omnium ordinum acclamationes, Gregorium Quintumdecimum,Pontificem Optimum Maximumq. ſpectauimus,authoritate ſuprà humanum faſtigium imperiumque, comitia in terris habentem de Cælo donando ſanctimoniæ candidatis, expectatoque Dei ſuffragio, cælitum honores hominibus decernentem. Quem ego lætiſſimum diem, cum hodierno luctu: illam geſtientis templi faciem, excitatumq. magnificentiſſimè theatrum, cum hac ferali inter nudos templi parietes doloris mole: veſtram illam ſacrarum veſtium lætitiam ac pompam, cum lugubribus iſtis ac decoloribus tegumentis:totum illud feſtis circa beatiſſimum Principem vocibus iucundiſſimum ſpectaculum,cum triſtibus hiſce inferijs,ac ſupremis apud breue cadauer honoribus dum compono; enimuerò communem mortalium conditionem tanquàm in ſpeculo contemplatus, ſumma pariter atque ima hominum capita; & quod ait ille, humanos etiam Ioues interire,nuſquam melius animaduerto. Venitq. in mentem viri eloquentiſſimi,ſanctiſſimiq. reſponſum:qui ab Alexandro II. Pontifice interrogatus, Cur Romanus Antiſtes adeò circumſcriptos habeat Apoſtolatus ſui dies, vt poſt Principem Apoſtolorum; qui luſtra circiter quinque Chriſtianę Reipublicæ clauum tenuit, nemo Romanorum Pontificum ſpatium illud æui non ſanè magni adhuc æquauerit; retulit huius arcani (vt ipſe loquitur) interpretationem in cæleſte conſilium: reſponditque, Dei ſapientia id euenire, vt humano generi metum mortis incutiat, dum maximus hominum moritur: quamque deſpicienda ſit humanæ vitę gloria, in ipſo glorię principatu palàm,

apertèque commonſtret: & quos breuitatis vitæ non admonent Regum Principumque funera, quorum imperium certis terrarum finibus coercetur; ij Parentis omnium iactura, & crebra mundi orbitate doceantur. Quamobrem, ſublato è viuis Quintodecimo Gregorio, intelligimus, communem hunc dolorem, hoc iuſtum, publicumque iuſtitium, ingentem hanc per omnes terras mœroris vmbram, aliundè non eſſe, quàm à Solis Siderum Principis occaſu. Intelligimus ad Pontificis Maximi magnitudinem pertinere: vt quemadmodum ab illo ſpiritum trahunt tot millia populorum; ità illo occidente, partem quoque mortis aliquam ſentire propemodùm omnia videantur. Queritur viduata Sponſo Eccleſia, vacuà à Magiſtro Romana Sedes, Gubernatore deſtitutum Petri nauigium, orba Parente Chriſtiana Reſpublica. Iugent populi Paſtorem, Reges Arbitrum, iura Vindicem, Italia Pacificatorem, templa Sacerdotem, Religio Antiſtitem, Vos ordinis veſtri Aſſertorem, ac Principem iure lugetis. Atque vtinam ſicuti Gregorij obitus non paucas familias, gentesvè tangit, ſed omnium ordinum luctus eſt; ità non audiri vnus hodiè deberet, ſed ex omnibus certatim ordinibus prouenirent Oratores; haberet profectò Gregorius dignam ſe, vobisque laudationem; nec verendum eſſet, nè omnium linguas non exercerent res ab eo geſtæ, quæ admiratione ſui omnium iam animos occupauerint. Memorarent, opinor, aliqui Ludouiſiæ gentis claritudinem: quæ non modò Bononiæ, primarias inter familias, etiam tùm cùm ſexdecimuiratu ea Reſpublica regebatur, adnumerata eſt: ſed etiam Neapoli, Ioanna Secunda Regnum obtinente, inter quinque eius vrbis ſedes, id eſt inter ipſa nobilitatis domicilia, locum habuit. Et Romæ ducentis ante annis, ex Ludouiſia gente fuiſſe, qui Vrbem Senator adminiſtrauerit, Capitolinis faſtis conſignatum eſt. Alij ad rem potius pertinere arbitrarentur, Gregorij admirari virtutem per omnes vitæ annos æquè probatam: ſiuè adoleſcentiam Germanico in Collegio, nobiliſſimo nationum tùnc omnium conuictu, Rhetorum ac Philoſophorum artibus imbutam: ſiuè iuuentam in Legum diſciplinis, magno inge-

nij documento, Bononiæ poſitam: ſiuè conſtantem ætatem Romę per omnes ferè magiſtratus, ac munia eo ſemper tenore traductam, vt quemadmodum aliqui per omnes ętatis partes venuſtatem oris, ac decorem obtinent; ſic ille eundem virtutis florem, ac laudem vbique ſeruauerit: nec vllum magiſtratum ſacrum, profanumvè geſſerit, vt non ampliore, quàm gerebat, dignus haberetur. Alij adhuc propius commendarent Innocentiam vitę, probitatemq. non horridam, arcentemque à congreſſu venientes; ſed comem atque affabilem, à qua nemo triſtis abſcederet: Candorem animi ſingularem, mentem fuci expertem, orationem ſinceram apertamque, non ambiguam, & veterum Oraculorum more euentui attemperatam: Ingenium, prudentiamq. in iure pręcipuè dicundo, in eoq. genere definitiones atque reſponſa excepta literis, & ante hoc tempus, cum adulationi pretium nullum erat, doctorum hominum conſenſu firmata. Verùm his, ac reliquis ſilentio prętermiſſis, quę pro rei dignitate memorarentur ab alijs: quoniam eorum loco dicendum eſt mihi; faciet hoc etiam ad argumentum publici mœroris: vt ſicut in Chriſti Domini moriẽtis repetito quotãnis luctu, canora quęque metalla ſilent, obtuſiora perſtrepunt; ſic in eius Vicarij obitu, tacentibus alijs, nonniſi ignobilis vox Oratoris audiatur.

Renunciatus à vobis Pontifex, Dei deſignatione, Gregorius, (nam quę in principatu geſſit, attingere mihi conſilium eſt) principio ità apud ſe ſtatuit, Tutelam generis humani ſibi à Deo creditam eſſe: eam Religione ac Pace potiſsimùm contineri: & quia vtraque vires acquirit à concordia Principum, ſine qua magna ſępè conſilia ſucceſſu caruere; in hanc ſedulò incumbere, primas eſſe Põtificis Romani partes. Ideoq. cuſis ad donatiua Nummis, Religioni, ac Paci dicatis, quas ſibi virtutes propoſuiſſet, oſtendit; vnàq. cum auro, ſpem quoque aureæ tranquillitatis donare viſus eſt. Et verò in pacificandis Principibus proluſit opportunè Gregorius, dum in Inſubriam miſſus à Paulo Quinto Pontifice Maximo, qui viri virtutem introſpexerat, ità negotium illud ſane impeditiſsimum, ſummo Italię bono confecit, vt ſimul ipſe oſtenſus à Deo videretur, quid in ea re poſſet: atque, vt olim

Medio-

Mediolanum Ambroſius deſtinatus eſt, non vt Iudex, ſed Epiſcopus; ità dum Paulus in eandem Vrbem Gregorium legaret, non tàm pacis Interpretem miſiſſe, quàm Pontificem tacitè deſignaſſe viſus ſit. Quam profectò deſignationem ita tunc ſenſit Sereniſſimus Sabaudus, vt diceret, Perſuaderi ſibi quidem non poſſe, quin ea virtus ſummo aliquando cum Imperio Chriſtianæ Reipublicæ imponeretur. Impoſitus rés duas offendit, quæ Religioni, ac Paci maximè aduerſabantur: Tellinæ vallis controuerſiam, bellumq. Germaniæ. Vtrumqe pari ardore aggreſſus, pari felicitate componendum curauit.

Et ob alterum quidem tanta animorum contentione certari videbat, vt metuendum eſſet, ne è proximis iugis multò plus ſanguinis per eas valles, quàm pluuiæ niuiumq. deflueret. Ergò maturè deriuandas aliò Regum curas Gregorius exiſtimauit. Animatoq. altero, vt Caluinianam Hydram, reſectis toties capitibus, non permitteret armorum ceſſatione in Gallia renaſci: Altero, vt ſublatis iam inducijs, redintegrato bello, Batauorum conſilijs nunquam requieturis armatus occurreret; tantum & precibus, & monitis, &, quam habere in poteſtate videbatur, felicitate valuit apud vtrumque (quà illi præſertim erant pietate in Deum, obſeruantia in Gregorium) vt diſtractis alibi eorum armis, animiſque, & pax inter eos firmata, & hæreticorum in Gallia vires acciſæ, & bellum ab Italiæ ceruicibus remotum, & Religio ſarcta, & incolumis ſeruata ſit. Verùm recurrentibus adhuc ardentius ad rei definitionem animis: cùm ea res haud facilès explicatus inueniret: iamq. arma, iamq. fœdera canerentur; Gregorius præſentius remedium nullum habuit, quàm vt tradita in alicuius fidentius tutela vallis; intereà turbarū materiam ſubmoueret. Cumq. Gregorium ipſum in ea tuanda regione ceteris prætuliſſent: quamquam is & difficultatum molem; & ſumptuum magnitudinem, ſub hæc præſertim initia, probè videret; omnia tamen infrà Religionis, ac Pacis incolumitatem ratus, conditione libenter accepta; miſſoque illuc Fratre cum militari præſidio, rem ita compoſuit, vt ſimul publico bono conſuleret, ſimul dignationis multùm acquireret Romanæ Sedi,

quam

quam omnibus æquã haberi,arbitramq. deligi perhonorificũ ſit.

Iam verò adiuta Cæſaris arma in Germania,Pannoniaque,ac tranſlatus in victorem Bauarum Septemuiratus, quantum momenti Catholico nomini addidere? Id autem immortale Gregorij beneficium eſt. quod ille beneficium tanto labore, ac ſedulitate peperit,Principum alios demerendo,alios obteſtando,alios minis cæleſtibus deterrendo: repetitis Nuncijs, auctis ſubſidijs, ingentibus promiſſis; vt ſanè admiranti cuidam hunc Pontificis ardorem,meritò reſponderit è veſtro hoc numero aliquis rerum ac loci apprimè gnarus, Negocium id agi,cui componendo ſi ſe in Germaniam contuliſſet ipſe Pontifex,non immodicum,ac ſuperuacaneum videri debuiſſe. Quamobrem debebantur illa Gregorio Germanicæ victoriæ ſpolia, quæ recens in hanc Vrbem, Pontificis opera ſumptuq. relata ſunt: Palatinam Bibliothecam loquor, illum arcanorum voluminum ampliſſimè congeſtum intactumq. theſaurum, illa grandium ingeniorum damnata dudùm tenebris documenta, celebre illud ſed iamdiu mutum Septentrionis oraculum. quæ iam libertati, ac Religioni reddita, quamdiù Vaticana in Sede veluti debellatæ ſuperſtitionis exuuiæ, ac rapta ex hoſtibus ſigna conſpicientur,tamdiù Bauaricæ fortitudinis trophęum, & Gregoriani beneficij monumentum poſteri prędicabunt. Quid Polonia, quam delere funditus parabat,copijs innumerabilibus,Turcarum Imperator, quantum animorum ac virium accepit à Gregorio? qui pręter attributam in menſes pecuniam, imploratamq. aliorum opem, rem profectò memorabilem aggreſſus eſt, vt Germanos fœdere Polonis adiungens,fortiſſimarum nationum propugnaculo contra communem hoſtem Chriſtianam Rempublicam perpetuò communiret. Iamq. Catholicos Principes in partem pulcherrimi operis aduocabat, cùm relata à Polonis repentè victoria, & pax cum hoſte præter opinionem inita fœdus omnium grauiſſimum ſanctiſſimumq. diremit.Sed quę tu,Maxime Pontifex,ab aliorum Principum ope, Religioni comparare adiumenta non vbique potuiſti (& tamen vbique id agebas) ea inquam adiumenta omnia, ſtatuto ampliſſimorum Romę Patrum de propaganda

ganda

ganda Fide conuentu, annuisq. reditibus firmato, ita complexus es, vt inſtrumentum Apoſtolicę Sedi longè pulcherrimum adornaueris, cuius opportunitate Romanus Pontifex ex hac Vrbe, tanquam ex Arce terrarum in omnes mundi plagas ęque intentus, expedire Chriſti milites, quò neceſsitas populorum vocet, circumferre ſalutis arma, exigere è veteri poſſeſsione Principē tenebrarum, ſubiectisq. Euangelio nationibus, Religionis fines, Imperiumq. propagare poſsit. Omitto curas Britannię impenſas, non ſolum remoto inde in Caſtra Religionis, qui ſcriptis, exemploq. Romanę Sedi capitale bellum indixerat, ſed magnis pręterea procuratis adiumentis, traducendę ad priſtinam fidem obedientiamq. nobiliſsimę nationi aliquando profuturis. Omitto expugnandę Geneuę conſilium, erecto ad eam laudē Sabaudo, per occaſionem bellorum, quibus vbique terrarum felici Catholicorum conſenſione premebantur hęretici. Omitto firmādę Religioni Paciq. euocata è Cęlo Sanctorum ſubſidia, quos ille populis colendos, omnium Ordinum non minori fructu, quàm plauſu propoſuit. dum aduerſus noua hęreticorum arma, nouę Ducem legionis obiecit: dum diſſeminaturis per alios terrarum orbes Euangelium, patronum deſignauit: dum Sacerdotibus etiam extra Religionum clauſtra, religioſę vitę imitamentum oſtendit: dum ſuum quoque ſiluis, agrisq. pręſidium attribuit: dum ſacris demum Virginibus exemplar, ac patrocinium non omiſit.

Hęc autem omnia Gregorius, quàm affecto corpuſculo, quàm defectis perpetuò viribus aggreſſus eſt? vt neſcias profectò quid mirere magis: An Pōtificem eo ętatis, ac valetudinis tàm multa ſimul, & conſtanter eſſe complexum: an reliquos Principes obſtrictos ei, atque obſecundantēs adeò fuiſſe, vt breui morituri Pontificis opinio nihil apud illos de viri authoritate, ac dignatione detraheret. Sed nimirum animus eſt, qui imperat. ille eminebat à corpore, ac ſibi quodammodo ſuperſtes, (quod de Magno Gregorio dicitur) infirma valetudine vigebat, ac premente ægritudine altiùs eleuabatur. Id verò palàm eſt viſum in hac morbi afflictatione, quę Gregorio non tàm alia, quam po-

ſtrema

ſtrema fuit. Etenim vbi ſe deficere, etiam ex aliorum denunciatione cognouit; prompto alacrique animo ſequi ſe vocantem Deum affirmauit: expiatisq. vniuerſę vitę noxis, omiſſis Pontificijs curis, exuto omni ſenſu rerum humanarum, totum ſe propitiando Numini conuertit: circunſtantibus, vt eandem opem ſibi à Deo implorarent, placido, ac ſupplici vultu ſedulò rogatis. Dein verò remotis arbitris, pręter vnum magna vitę innocentia, ſimplicitateq. ſibi probatum, recogitare annos ſuos cum eo cœpit, adiuuante illo, dum aut grates pro benefactis ageret, aut pro erratis veniam oraret. Ita comparatus, cùm iterum ac tertiò cõfeſſione maculas, ſi quę ſupererant, eluiſſet; ſacro ſub veſperam Viatico munitus eſt: ac mane, duobus, ſe coram, Sacerdotibus ſacrificare iuſsis, cęleſti iterum Pane recreatus, ſalutariq. inunctus oleo, poſtero die, dierum mortaliũ poſtremo, Sacro iterum audito, magno pietatis ſenſu, erecto non corpore, (quod ſtantem Imperatorem mori oportere aiebat ille) ſed ſtante animo, vti Gregorium mori decuit, ad eius complexum, cuius vicem geſsit apud homines, ijs pręcipuè Cęlitibus deducentibus, quos ipſe templis cultuq. Sanctorum donauit in terris, ſicuti par eſt credere, euolauit in cælum.

Scilicet hoc tibi, fortunatiſsime Pontifex, (te enim vt hoc cõpellem nomine, vltimus vitę tuę actus perſuadet) hoc tibi deerat ad beatitudinis ſummam: vt, qui Principum ánimos ſingulari felicitate pacaueras, bellis imminentibus feliciter interceſſeras, Imperij comitia è re Catholicorum ſtabilieras, Religionem ex ſententia procuraueras, nihil domi foriſq. ſuſceperas, cui Felicitas manum non admouerit; fortunatiſsimum principatum tanta denique mortis felicitate cumulares: vt is, qui ſecreto tuo intererat, animęq. tuę explorata habebat omnia, perſancte affirmauerit, Genus hoc mortis non modo animarum Paſtoribus, ſacriſq. Principibus, ſed etiam Religioſo cuique, ac ſpectatę probitatis viro, tanquam exemplar, ac votum proponi meritò poſſe. Hoc autem quantum Gregorio laudi fuit, tantum ſolatio eſt ijs, quos Gregorio coniunctos in hac extrema oratione alloqui partes ſunt meę. Vos inquam, Cardinales Ampliſſimi, quos

ille

ille fratrum obſeruauit loco, filiorum caritate complexus eſt. Veſtrum ordinem quanto apud Principes ſtudio propugnauerit, ac ſacroſanctum eſſe omnibus voluerit, præclarum ſanè ante oculos documentum habetis. Veſtræ authoritati, libertatique quantopere conſuluerit, ſcripto de Pontificis creatione Diplomate, & ille ſatis oſtendit, & vos ampliſsimis laudibus excepiſtis, & quæ inſtant comitia, adhuc certius prædicabunt. De veſtra dignitate, ac meritis quàm honorificè ſenſerit, etiam in morte teſtatus eſt. Cùm enim inter ſuprema, memoraret, quàm multis in Pontificio munere peccaſſet, ſperaretq. ſucceſſurum ſibi Paſtorem, qui ea errata, ſua virtute compenſaret; adiunxit, Id verò facilè futurum, cùm ex iſto numero, nemo Gregorio non melior eligendus eſſet. Sic ille de ſe humiliter, de vobis magnifice loquendo, veſtra apud homines, ſua apud Deum merita cumulabat. Sed inter reliquos, ne illum omittam, quem præter hanc veſtram cum Gregorio coniunctionem, aliunde natura arctius adſtrinxit; Habes tu quidem, Ludouiſi, ſingularem dolendi cauſam, Gregorio & ſanguine propior & iactura: ſed habes vnde præcipue dolorem leues à communicatione gloriæ, quam ex immortalibus Patrui operibus perpetuò deriuabis. Habes ab honeſtiſsimorum conſortio Collegarum, in quibus, præter virtutem, qua admoueri ad Purpuram meruerunt; frueris etiam Patrui iudicio eligentis ex omnibus, qui omnibus probarentur. Habes denique ab literis ſapientium virorum: quos in magno illo Quirinali congreſſu ſplendide loquentes ſicuti per æſtiuas horas audire non alienum à maieſtate Principis Gregorius exiſtimauit; ſic illi earumdem beneficio literarum,

Per quas ſpiritus & vita redit bonis
Poſt mortem Ducibus,

poſteritati repræſentabunt beneuolentiſsimi Pontificis memoriam, nec totum terris interire Gregorium patientur.

L A V S D E O.

Z
1035 40
99 956924

1035.41

Angelo Pandimiglio
restauratore
825650 8274800